MISSALE DIOECESIS SALISBURGENSIS

Augsburg, um 1480/1500

Seite 50r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cum esset iustus: erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Erat autem Ioachim dives valde: et erat ei pomerium vicinum domui sue. et ad ipsum confluebant omnes iudei, eo quod esset honorabilior omnium. Et constituti sunt duo senes iudices in anno illo: de quibus locutus est dominus. quia egressa est iniquitas de Babilone a senioribus iudicibus qui videbantur regere populum. Isti frequentabant domum Ioachim: et veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia. Cum autem populus revertisset post meridiem, ingrediebatur Susanna: et deambulabat in pomerio viri sui. Et videbant eam senes cottidie ingredientem et deambulantem. et exarserunt in concupiscentia eius. Et averterunt sensum suum et declinaverunt oculos suos ut non viderent celum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. Factum est autem cum observarent diem aptum quando eam possent invenire sola ingressa est aliquando sicut heri et nudius tercius. cum duabus solis puellis voluitque lavari in pomerio. Estus quippe erat. Et non erat ibi quisquam preter duos senes absconditos. Dixit ergo puellis. Afferte michi oleum et smigmata. et ostia pomerii claudite ut laver. Cum autem egresse essent puelle: surrexerunt duos senes et accurrerunt ad eam et dixerunt. Ecce ostia pomerii clausa sunt. et nemo nos videt. quam ob rem assentire nobis et commiscere nobiscum. Quod si nolueris: dicemus contra te testimonium quod fuerit tecum iuvenis et ob hanc causam emiseris puellas a te. Ingemuit Susanna et ait. Angustie michi sunt undique: et quid eligam ignoro. Si enim hoc egero mors michi est. Si autem non egero non effugiam manus vestras. Sed melius est michi absque opere incidere in manus vestras quam peccare in conspectu domini. Et exclamavit voce magna Susanna. Exclamaverunt autem et senes adversus eam. Cum autem audissent clamorem in pomerio famuli domus irruerunt per posticum, ut viderent quid nam esset. Postquam autem senes locuti sunt erubuerunt servi vehementer. quia nunquam dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susanna. Et facta est dies crastina. Cumque venisset populus ad virum eius Ioachim: venerunt et duo presbiteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam ut interficerent eam. et dixerunt coram populo. Mittite ad Susannam filiam Helchie: uxorem Ioachim. Et statim miserunt. Et venit cum parentibus et filiis et universis cognatis suis. Porro Susanna erat delicata nimis. et pulchra